

singularitatem; qui nullas frequentiores communionem concedere vellet nisi ob specialem rationem extrinsecam, puta in die anniversaria votorum vel in festo onomastico, etc. Attamen minime necessarium, immo neque utile censemus moniales adigere ut post singulas confessiones petant quotiens ad S. Synaxim accedere possint: ubi enim nihil novi in vita spirituali poenitentis accidit, prout persaepe fit inter confessiones hebdomadarias, nihil est cur iterum interrogetur confessarius de declaratione quae, iisdem manentibus adjunctis, eadem manere debet. Generalim satisfaciet officio suo confessarius si moniales quae solent tantum diebus regula statutis communicare, neque frequentioris communionis desiderium manifestant, in hac consuetudine pergere sinat. Plerumque enim satis ad crebram communionem impelluntur moniales generalibus exhortationibus, spiritualibus lectionibus et universa vitae, ad pietatem compositae, ratione. Si speciatim ad communionem cotidianam, vel regulae determinatione frequentiore, a confessario impellerentur moniales quae nullum speciale hujus rei desiderium ostenderent, periculum foret ne cum exiguo fructu accederent, potius ut morem gererent sacerdoti quam ut in via Dei proficerent. Excipi tamen possent quidam casus extraordinarii, ex. gr. si monialis, ceterum fervida, tam timida foret ut nullum desiderium suum sponte confessario aperire auderet vel si praejudiciis a frequenti communione averteretur, ut puta dum animae puritatem ad crebrum illum accessum requisitam ultra rationabiles limites extenderet. Ubi vera aliqua monialis crebrius communicandi desiderium manifestat, confessarius facilem se praebere debet ut aliquod communionum augmentum concedat, cum valde verisimiliter profuturum sit. Attamen quo majore in pretio habeatur tantum Dei donum, juvabit nonnisi paulatim, puta uno die singulis hebdomadis additio consuetis, progredi ad cotidianam communionem. Tandem diligenter monebit confessarius eas praesertim moniales quae cotidie communicent, quantam animae puritatem hic crebrior accessus ab iis postulet, atque ubi in culpas solitis graviore lapsas deprehenderit, minuto ad tempus communionem numero ad perfectiora stimulat. (1)

Qui licentiam a confessario obtinuerit frequentioris ac etiam cotidianae communionis, de hoc certiore reddere Superiorem tenetur; quodsi hic justas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores hujusmodi communionem, eas confessario manifestare tenetur, cujus iudicio acquiescendum omnino erit. (Decr. cit. n. VI) Haec subditorum obligatio probabilius non est extendenda ad communionem quae non per modum consuetudinis, sed per merum actum transeuntem concederetur: nulla enim ratio apparet ob quam talis licentia Superiorem

(1) Ita fere P. Müllendorff, op. cit. p. 439 seqq.

sit manifestanda. (Meynard, Comment. in hoc Decr. p. 75) Eadem obligatio, secluso contemptu vel scandalo, non videtur gravis, cum nihil imponat praeter communicationem rei quae e facto fere semper necessario innotescet Superiorem. Gravis vero ex genere suo foret culpa Superioris qui, posthabito confessarii jure, communionem subditis suis permetteret vel prohiberet: nam decretum R. P. in re notabili violaret et temere adiret periculum graviter nocendi spirituali subditorum profectui. (Meynard, p. 77)

*Si quis esset confessarius in magna communitate et externam agendi rationem poenitentium parum cognosceret, posset hortari Superiorem ut, si quando confessarium in concedenda frequentiore et cotidiana communione aberrare suspicaretur, liberrime sibi rem manifestaret. Non putamus tamen expedire, quod in hoc casu probat quidam citati decreti interpretes (P. Adigard S. J. Décret Apost. etc. p. 35), ut detur a confessario licentia condicionata tantum, nec valitura si Superior obstiterit. Nam, saltem si id crebro et cum multis fieret, omnia committerentur arbitrio Superioris, quem citatum Decretum prorsus impedire intendit ne se, extra casus exceptos, communioni permittendae vel prohibendae ingerat. Insuper huic praxi intrinsecum videtur incommodum, quod idem interpretes semper vitandum esse merito existimat: ex eadem, satis diu frequentata, magnam molestiam orituram esse eidem confessario ejusve successoribus, si jam cum plena independentia a Superiore communionem concedere vellet.

§ 3. QUAENAM DISPOSITIONES CORPORIS REQUIRANTUR.

199. I. Praecipua corporis dispositio requisita est ut communicaturus servaverit **jejunium naturale**, seu ut a media nocte nihil omnino per modum cibi, potus aut medicinae sumpserit. Hora autem duodecima noctis computari potest secundum tempus verum, medium vel legale (n. 56), sed jam a primo horologii ictu completa est. (S. Alph. n. 282) Jejunium eucharisticum tam severe urget ut quilibet vel minimus potus aut cibus, voluntarie ante communionem sumptus, gravem culpam constituat.

De hac lege ecclesiastica constat ex universali praxi et ex multis Conciliis. Cfr. Lugo, disp. 15. sect. 2. Speciatim Conc. Const. (Sess. 13) antiquissimam hanc praescriptionem iterum asseruit: "Hujusmodi sacramentum non debet... a fidelibus recipi, non jejunis, nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis e Jure vel Ecclesia concessio vel admissio."

200. II. Ut judicetur in casibus dubiis num jejunium laesum fuerit, solent statui hae tres regulae (S. Alph. n. 278 seqq.) :

1^a Regula. Oportet ut quod sumitur, **ab extrinseco** proveniat et in stomachum trajiciatur. Hinc :

1^o Jejunium non laedit qui deglutit sanguinem e dentibus fluentem, laedit qui e vulnerato digito sugit sanguinem, qui deglutit lacrimas, etc.

2^o Non frangit jejunium trajectio reliquiarum cibi, sive *involuntaria* (quod certum est), sive etiam *voluntaria* (quod saltem probabile est). Nam universim dicit Rubr. Miss. (de def. IX) : " Si reliquiae cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur, per modum cibi, sed per modum salivae. „ Insuper non recipiuntur ab extrinseco ea die qua communicatur, sed moraliter reputantur partes comestionis diei praecedentis. Sed jejunus non est qui cibum, ex. gr. saccharum, noctu in os immittit et post mediam noctem trajicit : haec enim non esset reliquia cibi, sed continuata comestio. (S. Alph. n. 279) Idem dicendum si saccharum ore solutum cum saliva trajicit. (Bus. ib n. 277)

2^a Regula. Oportet ut sumatur per modum **comestionis** aut **potationis**, non autem per modum salivae aut adspirationis. Nempe Ecclesia, indicto jejunio eucharistico, nequaquam intendit prohibere quominus communicaturus salivam hauriat et ore vel naso adspiret, etiamsi aliquae particulae substantiae nutrientis simul, praeter intentionem, in stomachum demittantur. Hinc :

1^o Manet jejunus qui, lavando os, stillam aquae (non autem magnam quantitatem) *praeter intentionem* deglutit (Rubr. de defect. IX) : quod etiam videtur valere de stilla aquae quae nondum sit omnino conjuncta salivae, siquidem quae omnino salivae commixta est, etiam voluntarie deglutiri potest. (Lehmk. II. n. 160) Hinc qui os lavat non obligatur ad saepius exspuendum : quod judaicam potius superstitionem, quam christianam libertatem redoleret. (Lugo, disp. 15. n. 34)

Sed jejunium laedit qui quantitatem etiam **minimam** aquae, jusculi, etc. *apposite* deglutit, ut liquet e verbis Rubricae.

2^o Manet jejunus qui clysterio nutritur, ut **hodie** nonnumquam contingit aegrotis (Capellm. Med. Past. p. 123), et probabilius etiam qui, ope alicujus canalis, aquam sorbet iterumque **rejjicit**. Licet enim, in hoc ultimo casu, aliqua pars aquae in stomacho sit **remansura**, nihil sumitur per modum cibi vel potus. Profecto non licet **canalem** oleo unctum in aesophagum immittere : sic enim **necessario fit** ut oleum per modum potus absorbeatur. Videsis period. *II Monitore Ecclesiastico*, t. 9. p. 184.

3^o Jejunus manet qui casu per **respirationem** deglutit pluviam, muscam, etc. ; — qui guttulam sanguinis e naso **defluentem** vel pelliculam a labiis avulsam inadvertenter cum saliva sorbet ; — qui tabacum sumit

per nares, etiamsi casu aliquid in stomachum trajiciatur ; — qui fumum tabaci haurit ; — qui folium tabaci vel aroma dentibus conterit et phlegmata exspuit, etiamsi modica pars succi, salivae permixta, casu in stomachum demittatur. Hoc ultimum tamen, ob indecentiam, non videtur a veniali excusandum, quando, ante communionem, fit unice voluptatis causa. (S. Alph. n. 280)

3^a Regula. Oportet ut id quod sumitur habeat **rationem cibi, potus aut medicinae**, sive nutriat, sive non. Qua in re potius attendenda est communis aestimatio hominum quam chemicorum placita : siquidem lex Ecclesiae debet esse omnibus pervia. Attamen, si ex chemia constat aliquid nulli alterationi in stomacho obnoxium esse, id jam nequit reputari cibus, potus vel medicina : siquidem, juxta communem sententiam (S. Alph. n. 281), his accensendum non est id quod prorsus indigestibile sit.

Sic probabilius non frangitur jejunium¹ ab eo qui deglutit capillos, ungues, metallum, fila ex serico aut lana, ossicula fructuum omnino depurata ; frangitur ab eo qui deglutit ossa, ceram, cretam, chartam, pulverem medicinalem, filum ex lino. (S. Alph. l. c.)

201. III. Ab Eucharistia accipienda nemo tenetur abstinere, nisi certus sit se non esse jejunum. Nam manet unicuique libertas communicandi, donec ipsi constet de facto quo jejunium violavit : facta enim non praesumuntur, sed probanda sunt. (Vol. I. n. 77)

Hinc communicare potest tum is qui probabiliter tantum existimat se aliquid comedissee vel bibisse, tum is qui certus quidem est de sumpto cibo vel potu, dubitat vero utrum ante an post mediam noctem sumpserit. (S. Alph. l. 1. n. 38 seqq.)

IV. Statim post receptam communionem, nulla causa urgente, alium cibum sumere, venialem irreverentiam erga S. Eucharistiam continet. (S. Alph. n. 283) Attamen, cum verisimiliter vix vitari possit quominus ss. species adhuc in stomacho versentur ubi pro more universaliter recepto, puta post horae quadrantem, cibus sumitur (n. 179), irreverentia haec non videtur in eo esse quod Christo adhuc praesente aliud alimentum sumitur, sed in neglecta conveniente gratiarum actione. Ubi causa quaedam, puta itineris urgentis, postulat ut statim post communionem edatur vel bibatur, omnis culpa aberit.

Exspuere statim post communionem, nullum periculum inducit evomendi hostiam jam deglutitam ; congruum tamen est per aliquot momenta abstinere, ne exspuantur particulae dentibus faucibusve inhaerentes. Graviter vero illicitum est stomachum lavare post S. Communionem quamdiu manet probabile periculum expellendi ss. species. Igitur si (ut

fere contingit) stomachum loturus cibos aegre concoquit, per plures horas exspectandum foret antequam tuto hoc remedium adhiberi posset, siquidem post duas tresve horas possent remanere fragmenta hostiae in stomacho. Attamen, ubi post S. Communionem jam sumpta erit sat magna cibi quantitas, idem periculum non videtur timendum: nam valde verisimile est ss. species, si nondum fuerint concoctae, jam aliorum ciborum impulsu in intestinum gracile fuisse devectas, ideoque non fore expellendas cum cibus in stomacho remanentibus.

202. V. Licet non jejunum communicare in casibus sequentibus:

1° In periculo mortis, ex quacumque causa proveniat: igitur non tantum ex morbo (ut diserte habet Conc. Const. cit.), sed etiam ex vulnere, sententia judicis, instante praelio, etc. Neque videtur admittendum quod quidam AA. (Lugo, disp. 15. n. 74) docent: jejunium ab infirmis in periculo mortis servandum esse, si commode fieri potest. Nam casus iste simpliciter a lege excipitur: "Potest Viaticum brevi morituris dari non jejunis." (Rit. Rom. tit. IV. c. 4. n. 4) Igitur non est huic exceptioni apponenda restrictio, quae molestissimis scrupulis esset obnoxia. (Ball. P. n. 168) Ii tantum qui nullatenus infirmi sunt, ut capite damnati, videntur adstricti ad jejunium servandum ante Viaticum, si absque notabili incommodo id possint. Notandum autem sacerdoti non jejuno licere celebrationem, quando laico non jejuno liceret communicatio: quia non plus est celebrare quam communicare sumpto cibo. (Bus. ap. S. Alph. n. 286)

Ut infirmus communicare possit non jejunus, sufficit periculum mortis probabile. Cfr. n. 422. Durat autem eadem facultas, quamdiu manet vel recurrit mortis periculum. Per se igitur nihil prohibet quominus etiam cotidie hujusmodi infirmus Eucharistiam suscipiat non jejunus. (Lehmk. II. n. 161; D'Annib. III. n. 411, nota 39) Neque obstat quod eam sanus rarius accipiebat: nam ob periculum mortis eadem magis indiget, et devotionem ampliorem concipere potuit. Ubi S. Eucharistia per vicos deferenda est, potest sane haec ratio esse, ob quam rarius aegroto praebetur; abusus tamen esset nolle infirmo, etiam cupienti, plus quam semel communionem per modum Viatici praebere. Ideo Bened. XIV (de Syn. l. 7. c. 12. n. 5) scribit: "Episcopus insinuet parochis posse et debere Viaticum in eadem infirmitate iterum ac tertio administrari, praesertim si ipsimet aegrotantes iterum caelestem illum panem esuriant." Videsis consona Stat. Mechl. (n. 251)

"Ceteris infirmis (non periculose decumbentibus) qui *ob devotionem* in aegritudine communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum et potum, non aliter ac ceteris fidelibus." (Rit. Rom. l. c.) Ideo, ubi tantum ex devotione communicant, jejuni esse debent, nisi obtinuerint Indultum

S. Sedis, quod hodie sat facile conceditur, aliquid *per modum potus* sumendi antequam communicent. (1) Attamen, ubi agitur de communionem paschali, probabile censemus, cum D'Annib. (III. n. 411) et Gasp. (de Euch. II. n. 1129), id, absque Indulto, licere, si jejuni remanere non possent, etiamsi communicatio valde mane afferretur. Haec enim communicatio non videtur comprehendi verbis Rit. *ob devotionem communicant*, et specialis adest ratio quod praeceptum annuae communionis a jure divino profluit. (n. 206) Excipit quidem D'Annib. (l. c.): nisi aliud consuetudine sit introductum. Sed cum casus iste raro occurrat, vix potest veri nominis consuetudo existere. Semper cavendi sunt abusus et scandalum, quod contingere posset si fidelibus innotesceret aliquem, praesertim qui cibo sumpto ad ecclesiam accederet, communicare non jejunum: periculum enim quandoque foret ne alii, qui legem servare possent, inciperent eam violare vel despiciere.

2° In necessitate celebrandi ut Viaticum moribundo dari possit, quemadmodum probabile censent S. Alph. (n. 286) aliique multi. Ratio est: legem divinam quae jubet infirmum communicare, praefendam esse legi ecclesiasticae quae jejunium celebraturis praecepit. Plerique AA. contrarium opinantur, quia Viaticum non est absolute necessarium ad salutem; lex autem divina cessat obligare, quando Eucharistia dari nequit servata reverentia quae ei, ex gravi praecepto Ecclesiae, per jejunium exhibenda est. Sed cum hic desit positiva irreverentia, neque ullo documento scripto vel recepta consuetudine constet Ecclesiam tam severe legem suam urgere, censemus vim suam manere argumento proprio sententia allato.

3° In periculo ne Eucharistia pereat (ex. gr. incendio), vel male tractetur.

4° In periculo gravis scandali vel infamiae ex omissa celebratione vel communionem. Hinc:

a) Non liceret Missam abrumpere si quis tantum post consecrationem recordaretur se non esse jejunum. Quodsi quis id recordetur ante consecrationem, neque sollemniter, sed privatim celebret, communis sententia tenet abrumpendum esse, nisi scandalum vel infamia timetur. Hanc autem censet S. Alph. (n. 287) semper timeri posse, nisi sacerdos sit notae probitatis; alii vero, ut Ball. P. (n. 172), probabiliter opinantur hoc periculum numquam penitus abesse, atque adeo numquam esse desistendum.

(1) Formulam qua petatur a S. Inqu. exhibet Manuale sacerdot. P. Schneider (Edit. 13^a, p. 654). Declaratum autem est ab eadem S. Congr. (4 Jun. 1893 et 7 Sept. 1897) verba *per modum potus* ita esse intellegenda ut liceat sumere jusculum, cafeum aliosque cibos liquidos, quibus aliqua substantia mixta sit, ex. gr. farina (semolino, semoule), panis rarus (pangrattato, pain râpé), etc. dummodo mixtio non amittat naturam cibi liquidi.

b) Celebrare licebit sacerdoti qui imprudens aliquid post mediam noctem sumpsit, si Missam, absque populi offensione, dieteriis, sinistris suspicionibus et similibus omittere nequit : quod saepe, nostris temporibus, ob pravas plurimorum dispositiones contra ordinem clericalem, timendum erit. Non sufficit tamen sola ratio quod populus die festivo Missa careret.

c) Probabiliter licebit neo-sacerdoti qui inadvertenter jejunium fregit, primitias celebrare, si ea concurrant adjuncta in quibus eas differre sine gravissimis incommodis nequeat, puta si multi consanguinei undique convenerunt, si publice notum est eum hodie primitias celebraturum esse, occulta vero mansit laesio jejunii. (La Croix. l. 6. p. 1. n. 582; Ball. P. n. 173) Nam in casu isto rarissimo videtur licitum uti epikeia.

d) Communicare liceret laico qui jejunii laesi recordaretur tantum quando jam scamno communicantium assideret. Idem dicendum putamus, si quando puer, primam communionem sollemniter facturum (ut in nostris regionibus mos habet), aliquid casu sumpsisset, et in dilatione essent incommoda paria iis quae supra supposuimus in neomyro, praesertim si pertineret ad familiam minus piam et laesio jejunii occulta esset.

5º In necessitate perficiendi sacrificii vel communionis, ut si celebrans post consecrationem deficiat, neque adsit alius sacerdos jejunus; si pro vino consecrando sumpta est aqua (n. 214), etc.

203. VI. Virtus religionis et leges ecclesiasticae jubent ut Eucharistia reverenter accipiatur : quod etiam de externa reverentia intelligendum est. Attamen, cum haec varia ratione pro variis regionibus et personarum condicionibus exhiberi soleat, nullus vestitus vel agendi modus in communicante arguendus est peccati, etiam venialis, nisi, in his concretis adjunctis, *communiter* aestimetur debitae reverentiae contrarius.

Speciatim nulla corporis macula impedit quominus reverenter comunicetur, nisi sit notabilis, externa et debilis. Sacerdos tamen morbo, qui horrorem incutiat, infectus, *privatim*, non publice celebrare potest, ut patet ex Decr. l. 3. t. 6. c. 4. (Ball. P. n. 139)

VII. Pollutio involuntaria, qualis praesertim durante somno accidere potest, per se nullatenus impedit quominus eadem die S. Communio recipiatur. Idem dicendum de pollutione quae proveniat e causa venialiter culpabili. (S. Alph. n. 272) Quandoque tamen possunt ob pollutionem manere in phantasia species inhonestae, vel in sensibus pravae commotiones : tunc erit obligatio, levis tamen, vel specialem diligentiam adhibendi ad excutiendam hanc pravam dispositionem, vel diffe-

rendi communionem. Haec obligatio reapse non alia est quam nullum positivum et voluntarium defectum admittendi in S. Eucharistia accipienda. (Ball. P. n. 146)

Si pollutio mortaliter mala fuit (idem dic de fornicatione), venialiter peccaret qui eadem die ad communionem accederet, excepto casu quo ob scandalum aliamve justam causam communicatio differri non posset. Rubrica Missalis (de def. IX, 5) rem iudicio confessarii permittit. Is ergo, attentis adjunctis et praesertim dispositionibus poenitentis, statuatur quod istius spirituali utilitati magis profuturum existimet.

204. VIII. Abstinere a copula conjugali nocte quae communionem praecedat, juxta communem sententiam, sub veniali praecipitur, quando copula habetur e mera voluptate ; merum consilium est, quando copula petenti redditur, vel ob finem prorsus honestum, puta procreationem prolis, vitandum incontinentiae periculum, etc. instituitur. (S. Alph. n. 273 seqq.) Practice tamen vix erit quod de peccato veniali aliquid poenitentibus, etiam interrogantibus, dicatur. Nam fere semper aderit causa rationalis non differendi communionem ; insuper, quando exercetur copula unice ob voluptatem, saepe aderit aliquod periculum incontinentiae, ac proinde jam versamur in casu quo de consilio tantum est communionem differre. (Ball. P. de Matr. n. 598)

Abstinere a copula conjugali ea die qua quis communicavit, merum consilium est.

IX. Ut quis realiter comunicet, necesse est ut ss. species manducet vel bibat. Aperte sequitur e verbis Christi : " Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. " (Joann. VI, 57)

Perperam quidam, ut Busemb. (ap. S. Alph. n. 226), inde concludunt non communicare eum qui species tamdiu in ore teneat donec penitus pereant, quia sic non manducaretur Christus, cum manducatio sit trajectio ex ore versus stomachum. Etenim, ut dictum est n. 179, inanis est ille timor ne species penitus in ore corrumpantur. Insuper, etiamsi id contingeret, minime constat talem decoctionem cibi in ore factam non fore veram manducationem : sicut, e communi aestimatione, dicimus manducare panem, saccharum, etc., si ea deglutimus tantum postquam (saltem ex illorum AA. aestimatione) substantialiter alterata fuerint.

Dubium nuper ortum est num liceat S. Communionem dare aegroto qui, cum nihil deglutire valeat, nutritur per foramen chirurgica arte terebratum in aesophago vel ventre. Huic ne in Viaticum quidem dari posse s. Hostiam, existimant Capellm. (op. cit. p. 125) et von Olfers (op. cit. p. 117). Duplex afferunt argumentum : prius, totum processum quo

introducatur s. Hostia irreverentiam sapere ergo augustissimum mysterium; posterius, hanc non fore veram manducationem. Hoc alterum minime constat: nam trajiceretur s. Hostia in stomachum, quae trajectio sola, juxta eos qui subtilius de hac re scripserunt (Lugo, disp. 12. n. 29), constituit essentiam manducationis, ad quam sumptio intra os pertinet tantum quasi integraliter. Ergo, saltem latiore sensu, manducaretur s. Hostia, quatenus per modum cibi reciperetur. Frustra autem urgeretur paritas cum casu supra (n. 200) posito hominis qui aquam stomacho suo immittit ope canalis, et nihilominus ad communicandum admittitur, quia non bibit proprio sensu: quare consequenter admittendum foret non manducare eum qui motu non vitali s. speciem directe in stomachum immitteret. Nam in primo casu agebatur de lege prohibente in qua verba *manducare* et *bibere* stricte interpretari licet, exclusa quavis actione in qua deficiat propria et usualis manducandi vel bibendi ratio; hic vero agitur de interpretanda institutione Christi Domini, quam saltem verisimiliter intellegere possumus ita ut communio complectatur etiam illam manducationem in qua accidentaliter mutetur ratio solita manducandi, sed manet manducationis essentia. Neque necessario in tali communione irreverentia sacramento inferetur: non enim apparet ibi major irreverentia quam ubi s. Hostiae particula, aquae imposita, ope cochlearis ministratur. (n. 188) Quare, quamdiu R. P. vel Ordinarius rem non prohibuerit, eam cum Lehm. (II. n. 143, nota) licitam reputamus, modo non sit periculum positivae irreverentiae erga S. Eucharistiam.

§ 4. QVAE ET QUANTA SIT OBLIGATIO SUMENDI EUCHARISTIAM.

Punctum I. Obligatio communicandi ex lege divina.

205. I. Datur omnibus fidelibus adultis divinum praeceptum sumendae S. Eucharistiae.

Constat e verbis Christi (Joann. VI, 54): "Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis." Quae verba nequeunt intellegi de necessitate medii, siquidem e traditione ecclesiastica patet salutem obtineri posse ab iis qui inculpabiliter S. Eucharistiam numquam acceperint; sonant ergo necessitatem praecepti. Ratio autem theologica deduci potest ex ipsa institutione hujus sacramenti per modum cibi et potus. Haec enim analogia cum cibo et potu corporali postulat aliquam necessitatem Eucharistiae ad conservandam animae vitam. Nihilominus haec necessitas nequit esse medii et intrinseca, sicut in cibo corporeo: siquidem gratia sanctificans semel accepta perseverat donec peccato mortali

expellatur, et affert secum, ex lege Dei, auxilia quibus vitari potest omne peccatum grave. Oportet igitur ut ab extrinseco, nempe per Christi praeceptum, inducta fuerit. (Lugo, disp. 16. n. 10)

206. II. Divinum praeceptum communicandi obligat:

1^o *Pluries in vita*, ut constat e natura hujus sacramenti quod institutum est per modum cibi et potus, quos non sufficit semel sumere, sed pluries ad vires deperditas restaurandas; accedit usus Ecclesiae, quae semper obligavit fideles ad S. Eucharistiam iteratis vicibus sumendam, Quotiens vero sumenda sit, id Christus determinandum reliquit pastoribus Ecclesiae qui, in praesenti disciplina, saltem semel in anno communicandum esse statuerunt. Hac annua communione praecepto tum divino, tum ecclesiastico satisfit.

2^o *In articulo seu periculo proximo mortis*, quacumque tandem ex causa hoc periculum oriatur, sive ex morbo, sive ex pugna, puerperio, operatione chirurgica, etc. His adnumerant antiqui AA. (ut Bus. ap. S. Alph. n. 291) longinquam navigationem: quae tamen hodie tam proximum periculum jam non inducit.

Ratio est: in nullo vitae momento hominem adeo indigere spirituali robore, quod ipsi in cibo eucharistico praebet, atque in mortis articulo, in quo ultima et saepe molestissima pugna cum daemone conserenda est et universa morientis aeternitas agitur. Si igitur pluries in vita, ex divino praecepto, sumenda est S. Eucharistia, ad vitam spiritualem alendam et tutandam, inter ea tempora certe numerandus est mortis articulus, etiam independenter ab ulteriore determinatione pastorum Ecclesiae.

Plerique AA. cum S. Alph. (n. 295) praeterea admittunt ex jure divino oriri obligationem communicandi, etiam saepius in anno, si quis id sibi necessarium esse judicaret ad superandam aliquam gravem tentationem. Sed iidem, additis restrictionibus, ostendunt labili fundamento niti hanc sententiam: siquidem fatentur casum esse moraliter impossibilem, eo quod, absolute loquendo, praesto sunt alia media, ex. gr. oratio, mortificatio, quibus efficax gratia ad vincendam tentationem obtineatur. (Suar. de Euch. disp. 69. sect. 3) Praestat igitur hanc frequentiore communionem, sine ulla obligatione, vehementer commendare iis qui gravibus tentationibus, praesertim contra castitatem, vexantur, eosque monere (quod experientia comprobatur) vix alio medio quam communione, saltem hebdomadaria, concupiscentiam domitum iri.

III. Communio sub utraque specie minime praescripta est jure divino fidelibus omnibus, sed tantum sacerdotibus actu celebrantibus, ut definit Trid. (Sess. 21. c. 1. et can. 1) A pluribus autem saeculis consuetudine introductum et ab Ecclesia pro lege habitum est, ut laici aut